# OPVSCVLORVM

## ALII LIBRI QVATVOR:

## AVCTORE

# IOSEPHO FERNANDEZ

Ex libris: DE RETES. I. C. Don Juanis Josephi Manual de Samia

HONTIBERIENSI:

*IN INCLYTA SALMANTICENSIVM*

## SCHOLA

IVRIS CIVILIS DOCTORE,

*ET VESPERTINÆ PERPETVÆ CATHEDRÆ*

ANTECESSORE.

---

SALMANTICAE.

*CVM PRIVILEGIO:*

IN TYPOGRAPHIA

*IOSEPHI GOMEZ DE LOS CVBOS,*

*Anno* M. DC. LVIII.

# INTEMERATAE DEIPARAE
# MARIAE
## SEMPER V.

COELITVM, HOMINVMQVE ÆTERNVM IMPERATRICI.
Peccatorum Aſylo tutiſsimo,
AFFLICTORVM SVAVISSIMO SOLATIO,
Omnium Gratiarum Abyſſo.
*SERVORVM INDIGNVS IOSEPH*
SE, SVAQVE *OPVSCVLA*, OFFERT, DICAT, CONSECRAT.

*EX antiqua Sapientia, & Religione decuma frugum, & fœtuum Auctori, Doctoriq; omnium bonorum DEO debetur: quem cum friuolorum indigentia non teneat, cultui, & hominibus rem ſacram procurantibus portionem illam permiſit, ſibi votum, & purum offerentis affectum reſeruauit*

*Ex frugibus, quas dies noctesq; colendo Iuriſprudentiæ agrum meto, quaſi pars decuma eſt, quæ ſub nomine* Opuſculorum *publiciorem lucem aſpicere ambit. Ergo pars hæc tota veſtra eſt, vel filij, vel ſponſi, vel tua SACRATISSIMA VIRGO; Filij ſuperioritatis iure, aut ex lege tributi veſtra, quatenus rerum filij vſus fructus, compendium optimo iure parentibus indulgetur in premium educationis.*

*Primus tomus patrocinio Sponſi Sanctiſsimi, Caſtiſsimi IOSEPH gloriatur. Hic ad Te aſcendit, quaſi gradatim permenſa dignitate. Vterq; proprius Filij eſt: ob naturale Parentum votum omnia liberis parantium ſuis. Quod igitur ex lege tuum eſt, fideliſsime ad Te properat,* Domina mea, Dominatrix mea, Dominans mihi.

*Vtinam ea facultate pollerem, vt laudes, priuilegia, & excellentias tuas hoc opere aſſererem, tuoc equidem digno, vt D. Maieſtati tuæ deſtinaretur. Sed alia mihi vita eſt, alia ars, quàm tracto, æqui boniq; ſiue Iuriſprudentiæ doctrina: quamquam nec iſta ingrata, cuius origo ab ipſo Deo primo legum Architecto trahitur; cuius ſcopus Iuſtitia eſt,* perquam, *rectè dicitur,* Reges regnat, & legum conditores iuſta decernunt.

*In hoc ſcribendi negotio duo ſcopuli, quaſi ſub vado, teguntur. Vt nomen magnificũ gloriaq; paretur, quaſi pulchrum ſit, digito monſtrari. Vt antiſtetur cæteris, qui ſub otio ſegnem vitam tranſigunt. AMBITIO prima eſt, ſecunda SVPERBIA Tangit me, imò angit, per ſæpè vtrumq; vitium, & in hoc nihil agere, videri volo geſſiſſe digna cedro; vt lauder, vt extoliar. Quid ergo remedij, aut cautionis mihi ſupereſt? Male natas, aut exorientes has phantaſias in MARI ipſo Sanctitatis mergere, ſubmergere, vt comminùs extinguantur vtinam cum radicibus, & fomite.*

*Ergo, MARIA, vt conſecro libellos glorioſo tuo nomini, ſic vota, affectuſq; Sacratos velim. Tota ſit tua ſcriptio cum voto, & mente ſcribentis. Nihil inde maneat, quam ſtudioſis profectus: Decus, Laus, Gloria Filio tuo Dei vnigenito Domino noſtro IESV CHRISTO Mundi Doctori, & Redemptori, qui cum Patre, & Spiritu Sãcto viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum.*

¶¶ TASSA

# OPVSCVLORVM
# LIBER V.
## DE CASTRENSI PECVLIO.
### CAPVT PRIMVM.

---

### ARGVMENTVM.

PECVLIVM, & PECVNIA *dicta à* PECVDIBVS. *Effigie ouis olim pecunia fuit ſignata. Componuntur communitèr* cap. 23. verſ. 16. Geneſeos *cum* cap. 24. verſ. 32. Ioſue. PECVLII *vox pro toto patrimonio vſurpata. Locus* eclogæ 1. Virgilij *expoſitus*. Bene peculiatus homo *pro diuite apud* Ciceronem, & *alios melioris Latinitatis auctores*. L. cogi 16. ad S.C. Treb. *Deindè cæpit appellari peculium portio patrimonij magis precioſa, & præſidij cauſſa repoſita*. l. ſi chorus 79. §. 1. de legat. 3. *Locus* Paralipomenon, cap. 29. verſ. 3. *nouitèr declaratus, & ex iure. Itèm locus* Exodi c. 29. verſ. 5. *Vndè eadem vox accipi cæpit pro bonis ab vxore, præter dotem retentis. Leuitèr tacta* l. ſi ego 9. §. cæterum de iure dotiũ. *Vox* peculium *non potuit eſſe ex Gallico idiomate. Nonnullæ voces Latino-barbaræ referuntur. Ex moribus Romanis, & matrimonio per coemptionem traxit originem ea acceptio. Expoſitus* Plautus. *Tandèm exindè cæpit vſurpari pro pecunia filiis, vel ſeruis permiſſa. Explicatur* l. pater 182. de V.S.

1. PECVLIVM dici à *pecude* notat M. Varro *lib. 4. de l. Lat.* quem locum dedi, & emunxi contractas ſordes vitio exſcriptorum *lib. 1. cap. 15. n. 3.* Ætymologiæ ratio eſt, quod in pecore tùnc omne patrimonium, omnis pecunia, Romanis conſiſtebat, plerunque paſtoribus, & ex pecuarijs quæſtum facientibus. Dicebanturq; idcircò peculia tauri, oues, aliudvè quid; hactenùs Varro,